

consulere Superiores ecclesiasticos, ad quos pertinet definire, quid pro variis circumstantiis sit agendum.

311. — QUAER. 5^o *Quale sit peccatum iurare sine veritate, iudicio et iustitia?*

Resp. ad 1^{um} Est mortale; quia Deum adducere in testimonium falsitatis est velle destruere ipsius veracitatem. Constat etiam ex Proposit. 24^a ab Innoc. XI damnata.

Resp. ad 2^{um} Veniale est *per se*, id est secluso periculo peierandi; quia est tantum vana usurpatio nominis Dei. — *Ita fere omnes, etiam rigidiores.*

Resp. ad 3^{um} Certo mortale est, si de re gravi agatur, ut patet. Secus vero *probabilius*, si res levis sit; quia non videtur inde gravis iniuria in Deum redundare, cum non ut fideiussor peccati, sed ut testis propositi invocetur. — Suarez, Collet, Antoine (quibus etiam consentit S. Ligor.) (17) contra alios.

facultatem cuique liberam servari lex athea iubet.

(*) Quaesitum est, « an liceat iuramentum ab intruso Gubernio propositum hisce vel similibus verbis, quibus illimitata obedientia continetur: *Iuro fidelitatem et obedientiam V. E. Italiae regi eiusque successoribus. Iuro me statutum omnemque aliam Status legem, pro inseparabili et regis et patriae bono, observaturum.* Responsum est, » Iuramentum, ut exponitur, non licere: tolerari autem posse iuramentum obedientiae mere passivae in iis omnibus, quae legibus divinis et ecclesiasticis non adversantur, iuxta formam a s. m. Pio VII. approbatam et his verbis expressam scilicet: *Promitto et iuro me cuiuslibet generis coniurationi sive conventui sive seditioni contra actuale Gubernium operam nunquam daturum itemque eidem me subiectum fore atque obtemperaturum in iis omnibus, quae nec Dei nec Ecclesiae legibus adversentur.* » S. Poenit. 10. Dec. 1860. Si leges civiles, contrariae legibus divinis aut ecclesiasticis, etsi nondum expunctae a codice, in desuetudinem abierint, opus haud erit quoad leges, eam clausulam explicite addere:

nam communi et populari sensu iuramentum intelligitur de legibus, quae actu valent. Item sub legitimo Gubernio, etiamsi leges huiusmodi vigeant, si tamen dissidium non ferveat inter Statum et Ecclesiam atque civibus integra potestas fiat secundum suam religionem vivendi, ita ut quilibet teneatur quidem non impedire in aliis observantiam earum legum, non teneatur tamen eas assensu suo probare vel ad earum normam se gerere (exemplo sit lex divortii), tunc iuramentum a catholico praestitum iam communi sensu ita datum intelligitur circa observantiam legum, ut salvum sit semper ius Dei et Ecclesiae, prout ipsa religio iubet. Ita Kenrick Tr. 3. n. 68. Sabetti n. 224. q. 2.

(17) Minus exacte dicitur in hanc sententiam consentire S. Alphonsus, quippe qui haec habet (lib. 3. n. 146.): *Sed magis mihi arridet sententia opposita, quam tenet Elbel... cum March. Turr., etc.; quia non levis, sed gravis irreverentia videtur invocare Deum in testem ac fideiussorem peccati quamvis levis.* Aliam sententiam ceu communem sequitur Suarez (*De Relig.* Tr. 5. lib. 3. c. 19. n. 3.) rationem reddens, quod Deus mere invocetur ut testis veritatis, praesentis nempe

Inter iuramenta prohibita referuntur ea, quae in societatibus occultis sive Carbonariorum, sive Liberos Muratorum (*Francs-Maçons*), emitti solent. Nullatenus enim licitum haberi potest iuramentum, quod eius auctores ne Ecclesiae quidem manifestari volunt.

ARTICULUS II. — DE OBLIGATIONE IURAMENTI PROMISSORII

312. **Principia.** — I. Omne iuramentum promissorium de re licita et honesta praeter obligationem iustitiae, aut fidelitatis, quae ex simplici promissione oritur, obligationem quoque Religionis inducit. Ratio est, quia promissio *per se* iam obligat, et testimonio divino invocato confirmatur et corroboratur. — Minime autem obligat iuramentum de re illicita aut plane inutili; quia iuramentum, utpote actus Religionis, non potest esse vinculum iniquitatis aut rei otiosae (18).

II. Obligatio iuramenti interpretanda est *stricte*; et naturam actus vel contractus, cui adiicitur, omnesque eius condiciones sequitur. Ratio primi est, quia iurans censetur voluisse se obligare quam minime potuit; ratio autem alterius est, quia iuramentum non mutat naturam actus, sed ei superaddit solam Religionis obligationem, et proinde easdem condiciones et limitationes habere debet.

III. Obligatio iuramenti interpretanda insuper est iuxta condiciones tacitas in eo inclusas seu subintellectas, quae sunt 1^o si potuero sine gravi damno; 2^o si res non fuerit notabiliter mutata; 3^o si iura aut voluntas Superioris non obstant; 4^o si alter fidem reciprocam servaverit; 5^o nisi alter de iure suo cedat. — S. Lig. n. 180.

propositi, non secus ac in iuramento assertorio Deus testis adducitur de re praeterita iniquissima. Verum haec ratio minus forte cohaerere videbitur cum notione iuramenti *promissorii*, quae communiter traditur, et a Suarezio quoque admittitur (ibid. lib. 4. cap. 8. n. 2. 3.), nempe quod praeter praesentis veritatis confirmationem includat obligationem ex virtute religionis, *ut homo faciat esse verum id, quod iuravit, secundum suam possibilitatem* (quae sunt verba S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4.), quo quidem Deus ceu fideiussor implendae promissionis adducitur, ut sup. (not. ad n. 309.) diximus cum Laymann.

(18) Eiusmodi iuramenta non reviviscunt, etiamsi res esse otiosa aut illicita postea desinat, iuxta Iuris Reg. 18. in VI:

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit. Ita qui contra fidem priorum sponsalium secunda sponsalia iuratus contraxit, priore sponsa ante nuptias mortua, cogendus non est ad sponsalia secunda, quippe quae promissionem et iuramentum de re illicita continebant, ideoque ab initio irrita erant; non secus nimirum ac si coniux, invito vel ignorante altero coniuge, Religionem professus et postea ex Monasterio reductus sit, mortuo altero coniuge, cogendus non est ad Religionis professionem, utpote quae ab initio irrita fuerat. Ad iuramentum enim revocatur Regula illa: *Votum* (eademque est ratio de iuramento) *emissum tempore inhabili, non obligat tempore habili.* Alia exempla vide penes Laymann (lib. 4. Tr. 3. cap. 6. n. 4.).

313. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An detur parvitas materiae in transgressionem iuramenti promissorii?*

Resp. I^a **SENTENTIA** *negat*, quia non tantum violatur promissio simplex, sed promissio iurata. In quaecumque ergo materia gravis iniuria inferitur Deo, cuius testimonium in vanum a iurante invocatum est. — Bonacina, Lessius, Toletus.

II^a **SENTENTIA** *affirmat*, quia in iuramento promissorio Deus non proprie adducitur ut testis futurae executionis rei promissae, sed tantum actualis promissionis, seu verae intentionis promissionem exequendi (19). — Suarez, Navarrus, Laymann, etc. — S. Lig. in *Opere*, n. 173., dicit utramque sententiam probabilem; sed in *Hom. apost.* n. 13., magis secundae sententiae adhaeret, et ait: *Si res promissa non sit gravis, infidelitas ad gravem culpa non pertingit.*

QUAER. 2^o *An obliget iuramentum promissorium errore aut dolo emissum?*

Resp. Neg., si error aut dolus versetur circa rei substantiam; secus vero, si adiuncta eius accidentalia tantum afficiat; quia contractus simplex invalidus foret in priori casu, non vero in posteriori. — S. Lig. n. 175. (20).

314. — **QUAER.** 3^o *An obliget iuramentum promissorium metu gravi et iniusto extortum?*

Resp. Controvertitur: I^a **SENTENTIA** *communior affirmat*, quia licet contractus simplex forte irritus foret spectato iure naturali, firmus tamen efficitur accedente iuramento, quod servandum est *ex Religione*, quoties absque peccato servari potest. — S. Lig. n. 174., et l. 3. n. 716. Attamen patroni huius sententiae tenent cum S. Ligorio, eum, qui metum passus est, posse iuramenti relaxationem petere, ut ab obligatione solvendi excusetur; si vero iam solverit, posse id, quod dedit, in iudicio repetere, vel occulte se compensare (21). — S. Lig. n. 174., et l. 3. n. 717.

(19) Haec ratio ex modo dictis (not. a, pag. 307.) minus firma videtur; neque enim obligatio Religionis, de qua A. n. 312. 1., mere consistit in non mentiendo, cum promissio fit (in quo sane nunquam levis esset culpa), sed insuper in promissione implenda. Potius igitur recurrendum videtur ad naturam obligationis ex religione, quae parvitate materiae admittit. Et si quidem haec admittitur in violatione promissionis Deo factae per votum, non apparet, cur admitti nequeat in promissione, cuius quodammodo fideiussor accersitus sit Deus.

(20) Advertit tamen idem S. Alphonsus

(lib. 3. n. 187.), probabilem esse sententiam oppositam, quando error vel dolus versetur circa illas circumstantias, utut accidentales, quae si ab initio notae fuissent, a iuramento et promissione deterruissent. Quae quidem S. Alphonsi animadversio valere debet sicut in votis, ita in contractibus *gratuitis*, non vero in contractibus *onerosis*: secus enim, ut in *Tract. de contractibus* videbimus, nimis saepe solvendi forent contractus, cum errores eiusmodi passim occurrant, vel praetexti possint.

(21) Si occulta compensatio licet, frustranea videtur obligatio dandi etiam pro-

II^a **SENTENTIA**, quae sat probabilis videtur, *negat*; quia iuramentum nequit promissionem de iure naturali irritam confirmare. Iuramentum enim sequitur naturam actus, cui adiicitur. Vide dicenda in *Tract. de Contract. in genere.*

QUAER. 4^o *Quomodo cesset obligatio iuramenti?*

Resp. 1^o Cessat *ab intrinseco* (22), sicut lex, cessatione causae motivae, etc...

Resp. 2^o Cessat *ab extrinseco* irritatione, commutatione et dispensatione sicut votum, de quo in capite sequenti dicemus (23). Cessat quoque re-

pter iuramentum. Numquid enim religio imponet ridiculam obligationem, ut ponam actum materialem dandi id, quod propria deinde auctoritate possum tollere et recuperare, quodque alter accipere licite non potest?

Inspectis vero textibus iuris canonici, quibus probari solet haec obligatio *ex Religione*, haud obscure apparet, Romanos Pontifices exegisse, ut dispensatio peteretur, non tam quia haec iuramenta censerent per se obligatoria, quam ut hac cautela periculis hallucinationis ac periurii obviaretur, prouti etiam rationes huius oeconomiae a Reiffenstuel (lib. 1. tit. 40. n. 59.) adductae insinuant.

(22) Contingit hoc 1^o ob notabilem materiae mutationem; qua de re S. Alphonsus (lib. 3. n. 487.) admittit regulam traditam a Salmanticensibus (Tr. 17. cap. 3. n. 22.), id liberare a voti vel iuramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impedivisset: exempla habes infra in tertia resolutione; 2^o ob cessationem causae finalis, v. gr. si iuramento promissisti eleemosynam Paulo ceu pauperi, et hic dives fiat (S. Alphons. lib. 3. n. 488.).

(23) Notanda sunt haec Suaresii (*De Voto*, lib. 6. cap. 14. n. 6.): *Satis probabile est, potestatem delegatam simpliciter ad dispensandum in votis, extendi ad dispensandum in iuramentis piis circa eandem materiam, quando per se stant, suamque solam obligationem producunt. Haec est sententia*

communis, et sine dubio potest in praxi observari. Cui doctrinae incaute Salmanticenses (Tract. 17. cap. 3. n. 3.), quos sequutus est S. Alphonsus (lib. 3. n. 490.), opponunt quosdam Auctores, qui reipsa non de solo iuramento agebant, neque etiam de iuratis votis, sed de iuramento, quod non dependeat a voto circa eandem rem emissio.

De quo tamen casu ita idem Suarez (l. c. n. 49.): *Etiamsi votum et iuramentum super eandem materiam immediate cadant, et unumquodque per se obliget ad Dei honorem; per facultatem absolutam dispensandi in votis auferri poterit vel votum, vel iuramentum, vel utrumque dispensantis arbitrio. Pro hac assertionem possumus allegare omnes Auctores primae (scilicet praec.) assertionis..., et tenent alii moderni et viri docti.*

Diximus incaute a Salmanticensibus quosdam Doctores opponi doctrinae allatae ex Suaresio priore loco. Nam Sanchez ex. gr. qui pro negativa citatur, stat pro affirmativa; sic enim (*Dec.* lib. 4. c. 53. n. 8-9.) scribit: *Tertia sententia ait, facultatem delegatam ad dispensationem vel commutationem votorum extendi ad dispensationem et commutationem iuramentorum, quae soli Deo fiunt... Atque haec sententia HABET VERUM, quamvis iuramentum non habeat inclusam promissionem, sed absque ea soli Deo fiat.*

Sed deinde Sanchezio addendus est et

laxatione seu remissione obligationis facta ab eo, in cuius favorem promissio iurata emissa est, quia iuri suo quisque cedere potest.

315. **Resolves.** — 1^o Nunquam obligatur iuramento, qui rem malam iuravit; imo dupliciter peccat, si iuramentum adimpleat, nempe contra Religionem, et virtutem, cui opponitur materia iuramenti. — S. Lig. n. 176.

2^o Non obligatur iuramento, qui promissionem prodigam iurando confirmavit, quia promissio illa est saltem leviter mala. — Ita Suarez, Salmant., et alii communiter cum S. Lig., qui hoc ut *probabilius* admittit, n. 185. (24).

3^o Non obligatur iuramento, qui iuratus promisit nuptias puellae diviti, sanae, virgini, bonae famae, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem; quia promissio simplex tunc non obligat. — S. Lig. n. 180.

4^o Non peccat contra iuramentum, qui urbanitatis causa iuravit, se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc..., si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque eius-

Bonacina. Ratio est, quia alia est quaestio, de qua Bonacina, alia vero est, de qua tractant Salmanticenses, et post eos S. Alphonsus. Apud Salmanticenses quaestio fit (Tr. 17. cap. 3. n. 3.): *An si alicui... facultas concedatur dispensandi aut commutandi vota, hoc ipso concessa facultas censeatur dispensandi aut commutandi quaecumque iuramenta soli Deo praestita.* S. Alphonsus vero lib. 3. n. 189.): *Quaeritur, an qui habet facultatem delegatam dispensandi in votis, possit dispensare in iuramentis: eundem autem esse utriusque quaestionis sensum, patet tum ex S. Alphonsi contextu, tum ex allegationibus quas S. Doctor ab illis transcribit. Aliter vero Bonacina (De 2. Praec. disp. 4. q. 1. punct. 17. n. 12.): Dubium est, utrum commutantes vota ex facultate sibi delegata possint etiam commutare iuramenta talibus votis annexa.* Atqui posterior haec quaestio ex omnium DD. consensu est plane a priori diversa. Ergo. Quid vero ait Bonacina? *Utraque sententia, probabilis est; sed probabilior mihi videtur prima: praesertim in iuramento*

promissorio; hoc enim non est votum, cum non fiat Deo, sed homini. Quae ostendunt, ex alia prorsus ratione Bonacina id affirmasse.

Caeterum non omnes facile concedent, invictam nempe esse rationem, propter quam S. Alphonsus, postquam de quaestione a se proposita dixerat, probabilem esse utramque sententiam, tum negantem scilicet tum affirmantem, concludit deinde, *primam sententiam negativam omnino esse tenendam; quia obligatio iuramenti iam contracta, cum sit certa, et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam.* Quispiam ab hominem posset ratiocinando dicere, tum peccata tum censuras esse certas, incertam autem remissionem aut absolutionem, quando iurisdictio Confessarii est tantum probabilis; ergo etc. etc.; quam conclusionem S. Alphonsus, ut notum est, non admittit.

(24) Ne concludas hinc tamen, hunc neque ad id teneri, in quo nulla apparet prodigalitas. Excipe, nisi res promissa sit indivisibilis.

modi iuramentum nullum est ex defectu intentionis iurandi; vel si valeat, ab altero relaxatur. — S. Lig. n. 180.

5^o Non peccat, qui secretum iuratum detegit, quando ipsa lex secreti cessat obligare; quia iuramentum, ut diximus, sequitur naturam actus, cui adiungitur (25).

6^o Raro peccant parentes non adimplentes iuramentum puniendi filios; quia plerumque iuramentum est de re inutili, aut potius de vindicta inordinata; accedit quod delinquentes aut iam emendati sunt, aut saltem emendationem promiserunt. — S. Lig. n. 180.

7^o Plerumque etiam mercatores non videntur ligari iuramento non vendendi minoris, aut pluris non emendi; vel quia huiusmodi iuramenta ut plurimum sunt de re inutili, vel quia isti homines non habent animum iurandi, aut certe quia iuramento inest tacita conditio, *nisi aliter res melius cedere videantur.* — Ita communius. — V. *Casus*, n. 296. et seq.

APPENDIX

DE ADIURATIONE

316. — DEFINITIO. Adiuratio est auctoritativa et deprecativa efflagitatio, interposito nomine Dei, vel Sanctorum, aut rei sacrae, ut inducatur alius ad aliquid agendum vel omittendum.

In eo igitur differt a iuramento, quod non inducat Deum in testem, sed tantum nomen eius interponat ad rem exoptatam efficacius obtinendam ob reverentiam Divinitati vel rebus sacris debitam.

DIVISIO. Adiuratio distinguitur.

1^o *Solemnis* vel *privata*, prout fit ab Ecclesiae ministris, et modo ab ea determinato, vel solemnitatibus destituitur, et ab omnibus fieri potest.

2^o *Deprecativa* vel *imperativa*, prout fit per preces, vel per imperium. Haec posterior solis competit Superioribus erga subditos, et Exorcistis erga daemones. — S. Lig. *App. de Adiuratione*, n. 1. (post. n. 193).

(25) Hinc. S. Alphonsus (lib. 3. n. 183.): *Iuramenta de servando secreto, quae praestantur in Congregationibus circa electiones vel alia, obligant graviter vel leviter iuxta nocumentum, quod afferre possunt.* Advertenda insuper sunt, quae idem S. Alphonsus (ibid. n. 180-181.) habet de iuramento, quo quis se obliget ad servanda decreta et regulas vel statuta alicuius Congregationis, Universitatis, vel Capituli, etc. Has nimirum regulas post DD. proponit: 1^o iuramentum intelligitur

de statutis iam editis, non autem de edendis; 2^o Obligare censetur sub gravi vel levi, vel sub poena dumtaxat, vel tantum sub consilio, prouti nimirum obligat statutum; 3^o Non obligat ad ea, quorum obligatio ob impossibilitatem vel desuetudinem non viget; idque valet etiamsi iuramentum de quopiam eiusmodi peculiari statuto praestetur; 4^o Non obligat demum, quando aliquod statutum a maiori parte communitatis seu Collegii non observatur.